



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Parallela Geographiae Veteris Et Novae**

Parallela Geographica Italiae Veteris Et Novae

**Briet, Philippe**

**Parisiis, 1649**

Nvm. 2. Quantitas Hetruriæ.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-13120**

vox est corrupta *Carfignana*. Aliæ voces nihil habent difficultatis.

N V M. 2. *Quantitas Hetrurie.*

NON facilè potest statui, quia huic ditioni multæ infertæ sunt, si tamen omnes eius ditiones coniunctæ essent, *Longitudo* protenderetur à Fl. Macrà paulò supra Sarzanam ubi habet Magnus Dux aliquot loca etiam ultra hunc fluuium, vsque ad vicum Montem Frigidum *Monte Fredo*, ad territorium Vrbeuetanum *d'Oruico*, quod spatium ad mensuram Geographicam reuocatum dat 2. Gradus maioris circuli cum 10. minutis, ideóque 130. millia passuum, leucas Francicas 65. Germanicas 32. cum  $\frac{1}{2}$ . *Latitudo* verò desumpta à Monte Argentaro, & Promontorio in mare Tuscum excurrente ad Ciuitatem Solis in Romaniolâ reddit 2. gradus cum minutis octo: igitur 128. mil. pass. 64. leucas nostrates, Germanicas 32.

N V M. 3. *Qualitas Hetrurie.*

DITIO MAGNI DVVIS fertilissima est olei, frumenti, vini, leguminum: laudantur in agro Florentino casei Martiolini dicti, qui Martio mense conficiuntur. Celebrantur quoque totâ Italiâ Aretini exquisitissimi saporis. Certè Siennensis ager aleret vniuersam Tusciam si coleretur; sed operis deficientibus iam squallet. Aër vbique purus nisi in maritimâ parte Siennensis agri, ubi exteri vix durare queunt. Salutaribus aquis passim scatet. Hic quoque plurimum serici conficitur, maximè ad Radicosanum ob crebras Moros. Denique in agris huius ditionis nascitur argentum, ferrum, æs, atramentum sutorium, alumen, lapides alabastrites, & porphyreticus, atque omnis generis marmora.

DITIO LVCENSIS frumenti non satis est ferax, quare indiget importato; abundat tamen vino, oleo, castaneis, quæ feliciter crescunt in montibus quibus totus ille ager distinctus est. Hic etiam linum tenuissimum colligitur, sed non magnâ copiâ. Vniuersa regio accedente incolarum industriâ amœnissima est, & vilis vbique pulcherrimis distincta, siquidem Lucæ nemo paulò ditior qui non habeat æstiuum secessum.

GRAFINIANA reliqua multis in partibus feracissima est, maximè in valle Macrensi, ditione Mutinensi, & Lunegianâ. Marmora Carrarenfia quis ignorat? candida in primis, & ad fingendas